

Nova literaria

Autor(en): **[s.n.]**

Objektyp: **BookReview**

Zeitschrift: **Museum Helveticum ad juvandas literas in publicos usus apertum**

Band (Jahr): - **(1750)**

Heft 17

PDF erstellt am: **05.07.2024**

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Inhalten der Zeitschriften. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern.

Die auf der Plattform e-periodica veröffentlichten Dokumente stehen für nicht-kommerzielle Zwecke in Lehre und Forschung sowie für die private Nutzung frei zur Verfügung. Einzelne Dateien oder Ausdrucke aus diesem Angebot können zusammen mit diesen Nutzungsbedingungen und den korrekten Herkunftsbezeichnungen weitergegeben werden.

Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. Die systematische Speicherung von Teilen des elektronischen Angebots auf anderen Servern bedarf ebenfalls des schriftlichen Einverständnisses der Rechteinhaber.

Haftungsausschluss

Alle Angaben erfolgen ohne Gewähr für Vollständigkeit oder Richtigkeit. Es wird keine Haftung übernommen für Schäden durch die Verwendung von Informationen aus diesem Online-Angebot oder durch das Fehlen von Informationen. Dies gilt auch für Inhalte Dritter, die über dieses Angebot zugänglich sind.

NOVA LITERARIA.

TURICUM. Dissertationes Academicæ prodierunt sequentes :

I. Meditatio de pia & circumspecta in tradendis sanctioribus Disciplinis sectanda Simplicitate. Pars. II. Præsede J. JACOBO ZIMMERMANNO, S. Theol. Prof. Reg. Boruss. Soc. Scient. Membr. Respondente Melchior Bodmero, V. D. M. Assumente Casp. Hessio, S. Theol. Stud. postridie Synodi autumnalis. 1749. pl. 8. Post iteratam consilii sui in hac tractatione expositionem Vir Clariss. in altera hac Meditatione aggreditur argumentum gravissimum de *Institutionibus Catecheticis* : ubi primo Catecheticæ Institutionis Necessitatem demonstrat : deinde quæ ejus in primitiva Ecclesia tractandæ ratio fuerit pluribus persequitur, & quid speciatim de *Clementis Alexandrini*, *Origenis*, laboribus Catecheticis, de vestigiis Catechetiarum Institutionum, quæ in *Constitutionibus Apostolicis* & in *Disciplina Arcani* reperiri dicuntur, item de *Cyrilli Hierosolymitani* Instit. Catecheticis, nec non de Libello *Augustini* de catechizandis rudibus, statuendum sit interposito judicio critico ex antiquitate ecclesiastica perite explicat : ac denique quid ad Simplicitatem Institutionis Catecheticæ requiratur, & in quibus illa maxime posita sit, XXVI. præceptionibus complectitur.

2. Meditationis de Caussis magis magisque invalescentis Incredulitatis, & medela huic morbo
ad.

adferenda Pars XII. & ultima quam sub Præsidio Viri Cel. J. JAC. ZIMMERMANNI, S. Theol. Prof. &c. propugnarunt VII. S. M. Candidati. 1750. pl. 9. Primo Vir Celeberr. inter media, quibus caveri possit, ne homines in vitium Incredulitatis incidant, refert ac commemorat singillatim quæ cavere ac præstare debeant cum Verbi divini Ministri & imprimis Oratores sacri, tum vero etiam ipsi Imperiorum & Rerump. Moderatores. Deinde progreditur ad eos, qui ad Incredulitatis vitium propendere videntur, & postquam certos characteres ex quibus hæc animi propensio cognoscatur, & quam variis causis originem suam debeat, exposuisset, disquirit §. VI. quomodo tractandi sint illi, qui in ipsum Atheismum vel Deismum sunt prolapsi; §. VII. & utrum pœnis civilibus vel supplicio capitis in eos sit animadvertendum, cujus quæstionis argumenta in utramque partem expendit. In extrema vero hujus tractationis parte prolixè ostendit, qua ratione Deistæ in viam sint revocandi, ac denique Ethicam Christianam ab eorum insultibus strictim vindicat. In annexis Thesis occurrit aliqua, quam, quum Tigurinorum de Controversia inter Eminentiss. R. S. Cardinalem QUIRINUM & Clariss. FORMEYUM agitata, & a Celeb. Lips. Theologo J. R. KIESLINGIO novissime feliciter suscepta Sententiam ac Judicium diserte explicat, huc revocandam operæ pretium esse duco, ne obscura & ἀδυσπότη illa, ad quæ Eminentiss. Cardinalis frequenter in publicis suis Litteris subdole provocat, Assentatoris Anonymi testimonia Ecclesiæ Turicensi fraudi esse, aut eorum Virorum, qui ipsi hoc tempore præsunt, fidem ac in Veritate tuenda constantiam

L 5

suspe-

suspectam reddere possint: Hæc vero Thesis ita
 habet: „ In solo Gymnasio & Ecclesia Tigurina
 „ tempore emendationis Sacrorum plures erant
 „ Viri docti ad S. Litteras rite explicandas idonei,
 „ quam in universa, qua patet, Italia. Et pro-
 „ fecto Viri licet in cæteris sapientes & Latini
 „ Sermonis callentissimi, SADOLETUS, BEM-
 „ BUS, CONTARENUS, POLUS, ad hoc ar-
 „ gumentum quod spectat, infantes erant, col-
 „ lati cum ZUINGLIO, BULLINGERO, BI-
 „ BLIANDRO, PELLICANO, LEONE JUDA,
 „ CEPORINO, COLLINO, aliisque. Ad hoc
 „ probandum opus duntaxat est, ut edita & in-
 „ edita magnorum horum Virorum ingenii mo-
 „ numenta inspiciantur. „ Cæterum cur pu-
 det Eminentissimum purpuratum Principem no-
 men illius hominis, ad cujus Testimonia toties
 provocat, edere, nisi persuasum habet ejus in
 rebus ad eruditionem ecclesiasticam aut Religionis
 causam spectantibus auctoritatem nullam esse &
 a nemine agnosci: Quantum illi tribuant nasutio-
 res cognoscitur ex Parte IV. des Theologischen
 Bücher Saals p. 506. Bey den Urtheilen der
 Zürichischen Zeitungs-Schreiber würde sich ein man-
 ches einwenden lassen; der ungenannte aber, auf
 dessen französische Brieffe sich der Herr Cardinal so
 viel zu gute thut, und der sich nicht gescheuet hat,
 Lutherum, nebst den übrigen Kirchen-Reformato-
 ribus so gar auf das gröbste zu lästern, scheint ein
 Ueberläuffer zu seyn, der den Papisten keine grosse
 Ehre bringen wird. Wenigstens macht er so elen-
 de Schlüsse, als man nur von dem Böbel unter
 den Papisten, nicht aber von einem unter den Pro-
 testanten erzogenen Gelehrten erwarten kan. Idem-
 que

que insuper prudenter monet: Inzwischen können wir nicht bergen, daß es uns nahe geht, daß wir sehen müssen, wie der Herr Cardinal die Höflichkeit und Schmeicheleyen, womit Er von einem und anderem protestantischen Gelehrten fast allzusehr überhäuffet wird, lediglich zur Verkleinerung Ihrer Ehre anzuwenden, und hingegen sich selbst damit groß zu machen suchet. Mögte man doch aber auch unserer Seits sich dieses arglistige Verfahren desselben statt einer Warnung dienen lassen, und durch übereilte und unbedachtsame Urtheile und Unternehmungen den Gegnern nicht ferner Gelegenheit geben unsere Evangelische Kirche zu verlästern.

3. *Disertatio theologica de veræ Religionis per christianam Doctrinam in mundo facta instauratione.* Præside J. JACOBO LAVATERO, S. Theol. Prof. Respondente J. Rod. Huldrico, V. D. M. Assumenre Conr. Ringgino, S. Theol. Stud. postridie Synodi Vernalis. 1750. pl. 3½. Argumentum hujus Disertationis est ostendere, postquam vera Religio in Orbe terrarum extremum in modum ubique corrupta & ferme deperdita esset, malo huic non alia via, quam per Christianæ Doctrinæ annunciationem medicinam fuisse adhibitam. Hunc in finem Celeberr. Autor primum discrimen Religionis inter Judæos & Gentiles, ejusque rationem explicat §§. III, & IV. mox deinde ostendit, Judæos, quanquam tempore Christi ab Idololatria fuerint immunes §. V. eos tamen ex quo primum in Pharisæorum & Sadducæorum Sectas discesserint, vario modo veram Religionem corrupisse §§. VI. & VII. atque hanc corruptionem invasisse duo palmaria Religionis capita §. VIII. Hinc §. IX. Pharisæorum & Sadducæorum de Providentia

videntia Dei circa Actiones hominum liberarum Sententia, & §. X. utriusque errores, exponuntur: Neque eos rectius de Immortalitate Animorum humanorum sensisse demonstratur, ejusdemque gravissimi erroris causa & occasio panditur §§. XI. XII. & XIII. atque etiam Doctrinam moralem inter Judæos quam maxime fuisse corruptam docetur, idque exemplo Sententiæ illorum de pravis concupiscentiis confirmatur §§. XIV. & XV. Post hæc transit Celeberr. Autor. §. XVI. ad repræsentandum corruptum Religionis statum inter Gentiles, cujus manifestissimum documentum ostendit in communi persuasione de Polytheismo §. XVII. ad quem tollendum nihil contulerunt Philosophorum Disquisitiones: immo quum horum quoque incertæ & falsæ atque etiam absurdæ fuerint de Deo Sententiæ §. XIX. Cultum quoque in gentiliam Religione §. XX. atque Doctrinam moralem foedissime fuisse depravatam asseritur §. XXI. & quamquam Opinio de Immortalitate Animorum inter Gentiles fuerit vulgata §. XXII. eam tamen valde incertam & falsis hypothesebus innixam fuisse arguitur §. XXIII. Tandem vero ostenditur §. XXIV. veræ Religionis instaurationem per Christianam doctrinam esse factam, atque inde conficitur, turpiter illos falli, qui Lumen hominis naturale in rebus Religionis ita extollunt, ut Revelationi divinæ supernaturali nullam necessitatem reliquam faciant. §. XXV.

4. Dissertationis physico-mathematicæ de Motibus variatis Supplementum, in quo Vires Centrales exponuntur. Præside JO. GESNERO, M. D. Phys. & Math. P. O. Soc. Imp. N. C. Collega, dicto Acarnan II. Defendentibus LX. Candidatis. 1750. pl. 2. BER-

BERNA. Sub ipsa hujus anni auspicia heic lucem adspexit, atque sub Præsidio Viri Clarissimi J. GEORGII ALTMANNI, *Ling. Græc. & Ethices in Acad. Bernensi Prof. O.* publice propugnata est Disquisitio philologico - exegetica de vero Sensu verborum Pauli, *passiones & ærumnas Apostolorum exhibentis I. Cor. IV : 9 - 13. pl. 5. in 4to.*

2. Egregia Eloquentiæ sacræ Specimina, quæ exemplo esse possint, nobis dederunt Duumviri Clarissimi sub hac epigraphe : *Trois Sermons prononcés a BERNE, à l'occasion de l'heureuse découverte d'une conspiration contre l'Etat : Deux dans l'Eglise Françoisè par ELIE BERTRAND, Pasteur : Et l'autre dans l'Eglise Cathédrale par Mr. J. G. ALTMANN, M. de J. C. & Professeur en Grec & en Morale à Lausanne. 1749. in 8vo. pl. 9.* Prior Sermo explicat *Officia Subditorum erga summos Imperantes ad Proverb. XXIV : 21, 22. Alter Vota ac Preces. Subditorum pro Summis Imperantibus ad 1. Timoth. II : 1, 2, 3. Tertius, qui ex Germanico idiomate translatus est exponit Dei beneficia & Hominis officia ad Psalm. XCV : 7, 8.*

3. Huc referre non dubito, SAMUEL. KOENIGII Orationem inauguralem de optimis *Wolfiana & Newtoniana*, Philosophandi methodis : earumque amico Consensu, publice dictam in Templo Acad. ad d. 26. April. MDCCXLVI. quum ordin. Philosophiæ Professionem in illustri Frisiorum, quæ Franequeræ est, Academia solemniter auspicaretur : quæ demum superiore anno Franequeræ lucem adspexit in fol. pl. 11. Ea enim est hujus Speciminis ratio, ut dubium nullum sit, magnum aliquando ex hujus Viri studiis ad Bernæ litteratæ gloriam illustrandam cumulum accedere posse.

4. Rever.

4. Rever. Senex SAM. KOENIG, Parens, Hist. Eccl. in Acad. Bernens. Prof. extraord. superioribus his mensibus supremum diem suum obiit.

5. Atque etiam circa idem fere tempus Senex depontanus, Vir haud obscuræ famæ SAM. LUTZIUS, Ansoltingensis. Pastor, Scriptis pluribus asceticis, emblematico dicendi genere & phantasiæ luxuriantis allusionibus involutis clarus, fato functus est; Cui in munere sacro Successor datus est Celebris Theologus J. FRID. STAPFERUS, qui pie defuncto jam per aliquod tempus vicariam operam præstitit. Horum Virorum docendi methodum si spectes, non male quidam dixit huic Cœtui oriri post tenebras Lucem.

BASILEA. Prodiit hic Literis Thurnisianis exscriptus Libellus: Versuch einer Beschreibung historisch, und natürlicher Merckwürdigkeiten der Landschaft Basel. IVtes Stück: 1749. Libellus est Topographicus, multa rerum lectu dignissimarum copia refertus: Hac particula, quæ constat pl. 7. & IV. Tabulis æri incisis, recensentur quæ pertinent ad notitiam locorum Biel, Benken, Bottmingen, Binningen, & Holer.

2. Dissertatio inauguralis medica de Actione Ventriculi & ejus morbis, quam pro summis in Arte Apollinea honoribus & privilegiis rite capeffendis proposuit J. HENR. BURCARDUS, Phil. Doct. 1749. in 4to. pl. 3¼.

3. Dissertatio physico - medica de Pulsibus, quam pro summis in Arte medica honoribus rite consequendis publice obtulit J. ROD. STEHELIN, 1749. in 4to. pl. 3½.